



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 262. Vtrúm Adam, & Angeli ad iustè viuendum, & perseuerandum in iustitia, & ad singulos actus bonos indiguerint gratia , & adiutorio Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ex eo Prosper sententia 178. *Quædam ægritudo animi, quia non totus assurgit, veritate subleuatus, consuetudine prægrauatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri.*

12. Ad argumentum in contrarium. Adam ideo habuit perfectam libertatem, quia habuit potentiam ita proximè indifferentem ad eligendum bonum, vel malum, vt non seruiret peccato, nec per concupiscentiam esset inclinatus ad malum, ideoque posset sine vlla difficultate, & resistentia, & pugna interna contrariarum voluntatum se determinare ad vtramlibet partem: sed nos ita habemus potentiam proximè indifferentem, vt per motus indeliberatos appetitus sensitiui appetamus illicita, adeoque seruiamus peccato, ac per concupiscentiam inclinemur ad malum, ac non possumus eligere bonum sine magna difficultate orta ex resistentia concupiscentiæ, & ex interna pugna contrariarum voluntatum; ergo Adam habuit libertatem perfectam, quam nos caremus, ac proinde in Adamo ante peccatum liberum arbitrium fuit sanum, & integrum, in nobis est ægrotum, vulnertatum, & infirmum.

QVAESTIO CCLXII.

Vtrum Adam, & Angeli ad iustè viuendum, ac perseuerandum in iustitia, & ad singulos actus bonos indiguerint gratia, & adiutorio Dei?

1. **V**identur non indiguisse, primo quia Augustinus, & alij Patres, & Concilium Arausicanum dicunt nos per peccatum Adæ perdidisse liberum arbitrium ad credendum, & diligendum Deum; sed non perdidimus liberum arbitrium ad credendum, & ad Deum diligendum per vires gratiæ: nam possumus cum Paulo dicere: *omnia possum in eo, qui me confortat*; ergo perdidimus liberum arbitrium ad credendum, ad diligendum Deum, & ad alios actus salutare exercendos per vires naturæ, ac proinde Adam habuit liberum arbitrium, quo per vires naturæ, & sine adiutorio gratiæ poterat credere, & Deum diligere, sicut oportet. Probatur maior, afferendo loca Augustini, & aliorum Patrum. S. Augustinus epist. 107. circa medium, dicit: *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Fulgentius de Incarnat. & Grat. cap. 22. dicit. *Hoc igitur in homine diuinitus agitatur, cui fidem Deus infundit, vt gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat, quam amisit.* Prosper ad Capitula Gallorum resp. 8. *Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, vt quia ipse nature nostre auctor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur: quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes iam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus.* Auctor Hypognofticon.

lib. 3. cap. 1. dicit. *Neminem posse per se sibi, idest per liberum arbitrium implere quod velit, rectè dicimus, nisi protoplaston solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrii fuisset sana eidem ante culpam;* Concilium Arausicanum can. 25. dicit, quod *secundum antiquorum Patrum definitiones per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præueniat;* ergo docet liberum arbitrium Adami ante peccatum ad Deum diligendum, sicut oportet, non fuisse gratiæ, & misericordia diuina præueniendum; sed si Adam non indiguit gratia Dei ad actum excellentissimum diligendi Deum, sicut oportet, non indiguit gratia Dei ad vltos actus bonos, & saluantes, ac meritorios vitæ æternæ; ergo. Addit eodem Canone, *illam præclaræ antiquorum Patrum fidem, non per donum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei fuisse corlatam;* ergo existimat Adamum habuisse fidem salutarem per bonam naturæ, adeoque per vires liberi arbitrii sine gratia, cum nos possumus illam habere solum per vires arbitrii cum gratia.

2. Secundo S. Augustinus lib. de Corrept. & Gratia cap. 10. dicit. *Quapropter saluberrimè confitemur quod rectè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium &c. sic ordinasse Angelorum, atque hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium;* sed si Angeli perseuerassent in diuina dilectione per liberum arbitrium adiutum gratia, eodem modo in nobis, & in Angelis ostendisset, quid posset liberum arbitrium adiutum gratia, & quid posset gratia, cooperante libero arbitrio; ergo Angeli perseuerarunt in iustitia, & dilectione Dei per liberum arbitrium sine gratia. Ideo lib. de dono perseuerantiæ, cap. 7. dicit in eandem sententiam: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.*

3. Tertio S. Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. 12. prope finem loquens de Adamo dicit: *Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissime quod bonum est vellent, nec hoc deserere inuictissime nollent;* Et paulo ante dicit, ideo Deum reliquisse perseuerantiam libero arbitrio Adami, quia erat sanam, & integram, nec voluntati resistebat concupiscentia, dicens. *Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vilo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tanta bonitati, & benè viuendi facilitati perseuerandi committeretur arbitrium;* sed Deus voluntati nostræ post peccatum faucit, & infirmè committit arbitrium perseuerandi cum gratia, & adiutorio Dei; ergo voluntati Adami sanæ, & integræ commisit arbitrium perseuerandi per vires proprias, etiam sine gratia, & adiutorio Dei.

4. Re-

4. Respondeo, quod Augustinus loquens de libero arbitrio Adami ante peccatum, & Angelorum in via, tria docet. Primo docet Adamum, & Angelos potuisse per liberum arbitrium iuste viuere, & in iustitia, quam in creatione acceperant, perseverare. Ideo lib. de Corrept. & Gratia, cap. 10. loquens de Angelis bonis, & malis dicit. *Per liberum arbitrium à Domino Deo refugii facti sunt &c. ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt. &c. cap. 11. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.*

5. Docet secundo, quod Adam, & Angeli ita potuerunt per liberum arbitrium iuste viuere, & in iustitia perseverare, ut ad iuste viuendum, perseverandum, & ad omnes, & singulos actus bonos exercendos indiguerint gratia, & adiutorio Dei. Ideo lib. de Corrept. & Gratia initio cap. 11. dicit. *Quid ergo Adam non habuit gratiam? immò verò habuit magnam, sed disparem: ac deinde: Sanè habuit gratiam, in qua se permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed ipsam tamen per liberum arbitrium deserere posset. &c. paulo post: Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine gratia. De necessitate gratia ad perseverandum in Enchiridio cap. 106. dicit. Esi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitia retinenda sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium praberetur. Et paulo post: *Ut ab eo teneretur vita iustitia, parum erat velle, nisi qui eum fecerat, adiuuaret: & cap. 107. Sic ergo factus est homo reclusus, ut manere in ea reclusione posset, non sine adiutorio diuino: Et lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet. De necessitate gratia ad quodlibet opus bonum, & meritorium vitæ æternæ dicit in Enchirid. cap. 106. Quamuis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Et eodem capite: Homo in paradiso ad se occidendam, relinquendo iustitiam, idoneus erat: ut autem ab eo teneretur vita iustitia, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret. Et lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum nihil est, nisi adiuuatur ab omnipotenti bono. Et lib. de Natura, & Gratia, cap. 26. explicat id similitudine lucis, dicens. Sicut enim oculus corporeus etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi æterna luce iustitia diuinitus adiuuatur, rectè non potest viuere. Idem docet eodem libro, cap. 48.**

6. Docet tertio gratiam diuini adiutorij, qua Adam egebat ante peccatum, diuersam fuisse ab ea, qua nos post peccatum indigemus. Ideo lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. dicit. *Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis &c. & cap. 12. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, ut ipso donante, inuicibilissime quod bonum est vellent; ergo docet aliud fuisse adiutorium da-*

tum naturæ sanæ, & forti, qualis erat in Adamo ante peccatum, aliud, quod datur naturæ faucis, & infirmæ post peccatum.

7. His positis, dicendum, quod argumenta allata probant quidem Adamum ante peccatum, & Angelos ad credendum, & diligendum Deum, & ad exercendos actus bonos, & supernaturales non indiguisse gratia, & adiutorio medicinali, quali nos indigemus, quia habemus liberum arbitrium faucium, & infirmum: at non probant illos non indiguisse gratia, & adiutorio conueniente libero arbitrio sano, & forti, ut iam patebit, respondendo ad argumenta allata.

8. Ad 1. S. Augustinus, & alij Patres, & Concilium Arausicanum dicunt nos per peccatum Adæ perdidisse liberum arbitrium ad credendum, & diligendum Deum, & alia opera salutaria, & supernaturalia exercenda, quale in creatione acceperant Adam, & Angeli; sed Adam, & Angeli à Deo, qui ut dicit Augustinus lib. 12. de Ciu. cap. 9. *Simul erat in eis condens naturam, & largiens gratiam*, acceperant liberum arbitrium sanum, cum quo sine vili gratia medicinali, cum sola gratia sanitatis, qualem Deus promiserat illi statui, poterant sine vili difficultate, credere, sperare, diligere, & obseruare omnia præcepta, & vitare omnia peccata etiam collectiue accepta, & perseverare in accepta iustitia; nos autem per peccatum Adæ amissimus liberum arbitrium sanum, ac solum habemus liberum arbitrium faucium, infirmum, inclinatum ad malum, & attenuatum, ut loquitur Arausicanum can. 25. cum quo sine gratia medicinali, quam non accipimus, cum nascimur in Adamo, sed cum renascimur in Christo, non possumus diligere Deum, sicut oportet, nec credere in Deum, aut quod bonum est propter Deum operari; ergo saluantur locutiones Patrum, & Conciliorum. Concilium Arausicanum can. 25. insinuans Adamum habuisse fidem per donum naturæ, significat Adamum habuisse fidem per gratiam illi donatam in conditione naturæ, quam ideo vocat donum naturæ; nos autem non accipere fidem per gratiam conlatam in conditione naturæ, quæ erat solum gratia sanitatis, & per peccatum est amissa, sed per gratiam medicinalem, quam accipimus à Christo in naturæ reformatione, ut magis explicabitur quæstione sequenti.

9. Ad 2. Augustinus optimè dicit, Deum sic ordinasse Angelorum, atque hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium integrum, & sanum, non quidem sine adiutorio gratia, sed cum adiutorio gratia sanitatis, deinde quid posset gratia medicinalis beneficium in libero arbitrio faucio, & infirmo; ergo ex ea doctrina non colligitur Angelos, & Adamum potuisse iuste viuere sine adiutorio gratia vitæ, sed solum potuisse iuste viuere, & perseverare sine adiutorio gratia medicinalis, cum solo adiutorio gratia sanitatis, hoc est conueniente natu-

ta sanæ, & integræ, cum nos ad iustè viuendum, & perseverandum indigeamus maiori adiutorio gratiæ medicinalis, vt magis explicabitur quæstione sequenti. Addit, quod quantum valuerit libertas, non quidem sine adiutorio gratiæ, sed cum solo adiutorio gratiæ sanitatis, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt cum solo adiutorio gratiæ sanitatis.

10. Ad 2. Augustinus in eodem sensu dicit, quod Deus libero arbitrio Adami ante peccatum sano, & integro, adeoque fortissimo dimisit, atque permisit facere quod vellet, non sine adiutorio gratiæ, sed cum solo adiutorio gratiæ sanitatis conueniente illi statui: nobis autem infirmis, & saucijs seruauit, vt ipso donante adiutorium gratiæ medicinalis, inuicissimè quod bonum est vellemus, & hoc bonum deserere inuicissimè nollemus. Addit, quod quia voluntas ante peccatum, cum adiutorio nimirum gratiæ sanitatis, habebat magnas vires, & magnam bene viuendi facilitatem, ideo Deus illi commisit arbitrium perseverandi sine ulteriori adiutorio gratiæ medicinalis. E conuerso quia voluntas post peccatum habet vires debiles, & magnam difficultatem bene viuendi, Deus prædestinatis, vt perseverent, dat maiora auxilia gratiæ medicinalis. Verum vt hæc doctrina magis explicetur, afferendum est discrimen inter gratiam naturæ integræ, quæ vocatur gratia sanitatis, & inter gratiam naturæ lapsæ, sauciæ, & infirmæ, quæ vocatur gratia medicinalis.

QVÆSTIO CCLXIII.

Verum Adamus, & Angeli indiguerint adiutorio consistente in motibus indeliberatis voluntatis inclinantis ad actus bonos?

1. **V**identur indiguisse, primo, quia nos indigeamus auxilio consistente in motibus indeliberatis voluntatis inclinantis ad actus bonos; ergo etiam Adam indiguit tali auxilio, cum sit eadem ratio.

2. Secundo S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 13. loquens de primis parentibus dicit. *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, vt videret, & accendebatur, vt amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigeret; ergo etiam voluntas Adami ad hoc, vt Deum amaret, illustrabatur per auxilium illuminationis, & accendebatur per auxilium inspirationis, & motus cuiusdam indeliberati, quo inclinabatur ad amandum.*

3. Tertio si Adam non indiguisset adiutorio consistente in motibus indeliberatis, quibus inclinabatur ad actus bonos, solum indiguisset adiutorio gratiæ habitualis, & habituum supernaturalium, & adiutorio confi-

sistente in oblatione diuini concursus ad actus bonos; sed indiguit adiutorio distincto à gratia habituali, habitibus, & oblatione concursus; ergo. Probatum minor: nam illud adiutorium gratiæ Augustinus docuit fuisse Adamo necessarium, quod Pelagius, & Pelagiani negabant: sed Pelagius, & Pelagiani non negabant Adamum, & Angelos ad eliciendos actus supernaturales indiguisse adiutorio gratiæ habitualis, & habituum supernaturalium, ac oblatione diuini concursus; ergo Augustinus docuit Adamum, & Angelos indiguisse adiutorio distincto ab his.

4. Quarto S. Augustinus docet contra Pelagianos Adamum, & Angelos indiguisse adiutorio diuino ad perseverandum in gratia habituali; sed Pelagiani non negabant gratiam habitualement valde iuuare ad perseverandum in gratia; ergo docuit indiguisse adiutorio distincto à gratia habituali.

5. Quinto Augustinus sæpè docet Adamum, & Angelos in natura integra indiguisse gratia illos regente, custodiente, & adiuuante; sed Deus regit, custodit, & adiuuat naturam rationalem, non per solos habitus, sed per illustrationes intellectus, & motiones, seu incensiones voluntatis; ergo.

6. Sexto Augustinus adiutorium, quo Adam indigebat ad conseruandam vitam spiritualem iustitiæ, & ad exercendos actus salutaris fidei, spei, caritatis &c. comparat alimentis, quibus indigemus ad conseruandam vitam corporalem, & luci, qua indigemus ad videndum; ergo existimat, quod sicut adiutorium alimentorum, & lucis distinguitur ab habitibus, qui in nobis sunt, sic adiutorium, quo Adam indigebat, erat distinctum ab habitibus gratiæ, & virtutum infusarum. Probatum antecedens, afferendo loca S. Augustini. Lib. 14. de Ciuit. cap. 27. dicit. *Sicut in hac carne viuere sine adiumentis alimentorum in potestate non est, non autem in ea viuere in potestate est, quod faciunt qui se ipsos necant; ita bene viuere sine adiutorio Dei etiam in paradiso non erat in potestate, erat autem in potestate male viuere: Et lib. de gestis Pelagii: Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras, ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adiutorium clari luminis præbeat.*

7. Respondeo, certum est Adamum, & Angelos, cum haberent naturam, & voluntatem sanam, non indiguisse adiutorio gratiæ medicinalis, nos autem, cum habeamus naturam sauciam, & infirmam, indigere adiutorio gratiæ medicinalis. Ideo Christus dixit: *Matt. 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Hoc posito, quæritur, in quo consisteret illud adiutorium medicinale, quo nos indigemus, & Adam, & Angeli non indigebant.

8. Dicendum iuxta doctrinam Bellarmini lib. de Gratia primi hominis cap. 4. & aliorum: adiutorium gratiæ medicinalis consistit in motibus indeliberatis voluntatis supernaturalium, & adiutorio confi-

B b b b natu-